


Questo libro composto di libretti
trentanove ha un gran valore.
Il suo più gran pregio consiste nella
lettera di Cristoforo Colombo in lingua
Spagnola.



# EPIGRAMMATA,

ET ALIA VARIORVM AVctorum in mortem IOANNIS Fontiboni Iuriſconſulti Vtinæi Compoſita.



VIRTVTE DVCE



COMITE FORTVNA.

VENETIIS Ioan. Gryphius excudebat, M D L V I.

IOAN. GRYPHIVS CANDIDO LEGTORI S.



VM ſuperioribus diebus ad me perlatum eſſet de obitu Ioannis Fontiboni, Iuriſconſulti optimi, doctiſſimiq;, plurimum ſanè, ut debui, commotus ſum. neque mehercule tantam iacturam æquo animo unquam ferre potuiſſem. Erat enim uir ſummæ doctrinæ, & probitatis, & (quod pace uniuſcuiuſque dictum ſit) tanto magis ſuper omnes laudibus efferendus, quanto minus omnibus laudis cupidus uiſus eſt. Cum autem nuper allatus ſit libellus carminum à uariis auctoribus in eius mortem compoſitorum, in mentem uenit me perbelle ægritudini, quæ hoc tàm graui uulnere accepto animum meum conficiebat, mederi; & præterea unà delectationem, & utilitatem ſtudioſis afferre poſſe, ſi eum imprimendum curarem. id quod ſine mora effectum eſt. Accipite igitur candidi lectores libellum elegantem, & ſubtili ueſtro iudicio (ni fallor) non indignum, in dies meliora accepturi. Valete. Venetiis.

# IOANNIS PETRI ABSTEMII.

EXtinctum iuris fontem quid fletis amici?
Cur ciues tantum uos noua damna mouent?
Hic bonus, hic uerè ille bonus fons aruit, astris
Sed fluit exundans nectare, & ambrosia.
Reddita uirtuti sua præmia, numine Diuûm
Nunc fruitur. Procul hinc dolor, & gemitus.

## EIVSDEM.

NOn herbas cultos, fœcundáue poma per hortos
Hic fons irrigua purus alebat aqua,
Sed legum præscripta, fidem, ius, fasq; rigabat,
Iustitiæ hinc flores enituere noui.
Hinc bonus est uero dictus cognomine, cœlo
Nunc clarus uiuis, ipse rigatur aquis.

## MARIANI.

FOntem olim uoluere Dei demittere, nostris
Irriguumq; animis, irriguumq; bonis.
Nunc, unde exierat, fontem uoluere reuerti,
Irriguum æterno nectari, & ambrosiæ.

## NICOLAI MACHEROPII.

MAnabat de fonte bono uena aurea Iuris
Publica, prorumpens per fora, perq; domos.
Hanc soror auertit Parcarum pessima, postquam
Immisit nitidis dira uenena uadis,
Scilicet extimuit, ne forte Vtinæa Iuuentus
Viueret æternos fonte iuuante dies.
Si nil uirtuti, si fatis omnia debent,
O' uirtus, uirtus inuidiosa uale.

## INCERTI AVCTORIS.

FAma uiri tanti penetrauit & infera regna,
Quantus in eloquio, consilioq; foret.
Hinc fuit ante diem raptus, suam ut explicet artem
Minoi, atque ipsis manibus in latebris.
Vnde forum mœret, dolet urbs, & turba clientum,
Sublatoq; bono Fonte, Iuuenta sitit.

## FABIANI BELLII.

TVrba boni toties grato sub murmure fontis
Et somnos capere, & sueta leuare sitim,

Flens steterat, uasto tellus ubi sedit hiatu,
    Apparent tanti quà monumenta mali.
Tunc subito effulgens cœlo Cyllenius inquit,
    O pia parce oculis, parce caterua genis.
Iuppiter ipse, pijs desint ne manibus undæ,
    Fontis eò auertit flumina grata boni.

## IACOBI FANNII.

SI quenquam extinctæ moueant uirtutis honores,
    Mens pia, & ingenti uita peracta fide,
Mœreat hic obitus tristes, tua fata Ioannes
    Fontibone, atque uno tot bona adempta die.
Te facilem, atque pium, rectumq;, fidemq; colentem,
    Iura euoluentem gloria consequitur.
Ergo tibi inferias statuit bene grata iuuentus
    Certatim, tumulis & pia iusta tuis.

## EIVSDEM.

FOntibono bona commigrant migrante Ioanne,
    Iustitia, integritas, relligio, atque fides.
Incertum, bonus, an sapiens magis, arce deorum
    Iustitiæ fructus accipit, & fidei.

## EIVSDEM.

FOnti boni cœtus puerorum ad busta Ioannis
Certatim flores ponit, & inferias,
Pro Sophia ingenti, pro relligione, fideq́;
Pro syncero animo, moribus atque bonis.
Nunc flores adhibent parui, exiguasq́; corollas,
Mox faciles lusus, Pieridasq́; dabunt.
Spiritus ò fœlix (aiunt) manesq́; ualete:
Aeternum cœtus uos superûm altus habet.

## DIRCAEI PATRIS.

FOnte bono situs hîc Sophiæ, legumq́; Ioannes
Cultor, pellebant unde sitim iuuenes,
Difficiles iuris doctus dissoluere nodos,
Integer & uitæ, consilioq́; bonus.
Hunc igitur lacrymis sequitur studiosa Iuuentus,
Et cineri meritas inferias peragit.
Ò si nunc poto lethes de flumine manes
Ex Samij redeant dogmate Pythagoræ,
Sed quia non fas est animas reuocarier, usque
Sede fluet uiuus FONS BONVS elysia.

EIVS-

## EIVSDEM.

QVI iacet hîc, leges ſanctas, & iura docebat,
Fonte bono exortus, ſed mala Parca tulit.
Huius conſilijs cedunt oracula Phœbi,
Huic antiqua Fides, integritasq́; fuit.
Priſca huic relligio, probitas huic rara, mouere
Sed potuit Virtus inuida, Fata nihil.

## EIVSDEM.

FOns bonus hic aret, fluxit qui clarior olim,
Dum ſapida Iuuenum corda rigauit aqua.
Nunc fluit Elyſiæ ſedis per amœna uireta,
Iuris ut extinguat turba beata ſitim.

## EIVSDEM.

DVm Rex umbrarum luſtrat ſua regna, peritos
Iuris perpaucos inuenit Elyſio.
Fonti bonum extemplo acciri iubet ille Ioannem,
Antiqua inſignem relligione uirum.
Nunc celebris diſcit uitas, & crimina iudex,
Non ibi ſat Minos, nec Rhadamanthus erat.

## INCERTI AVCTORIS.

FOns fuit hic bonus, exhausto nam è fonte liquore
  Exiliens rursus largior unda fluit.
Vberior quondam Patriæ procul arua rigabat,
  Omnibus & licuit sumere, fontis aquas,
At nunc sydereis acceptus sedibus, imas
  Vsque tamen terras, & rigat usque polum.

## INCERTI AVCTORIS.

FOntiboni eximias uos laudes dicite uates,
  Mi tenui hæc liceat fundere uerba sono.
Fons bonus hic fluxit, melior post fata resurgit,
  Tunc hominum, superûm nunc leuat ille sitim.

## INCERTI AVCTORIS.

EXhausti fontis Vatum dum turba liquores
  Deflet, & innumeris uult reparare modis,
Phœbus ait Vates (moneo uos) rumpite uocem,
  Tam graue nam noster uix chorus audet opus.

## INCERTI AVCTORIS.

EXhaustum fontem lugent heu pascua Iuli,
Hinc torpent amnes, hinc riget omnis ager.
Quòd si fons idem nostras reuocetur ad oras,
Nec torpent amnes, nec riget ullus ager.

## M. ANTONII FIDVCII.

REstitit haud (ut uos male creditis) arida fontis,
Lympham agit undantem uena perennis adhuc.
Sed largos dudum nobis quæ præbuit haustus,
Et summam irriguo gurgite lambit humum:
Nunc fluit ad manes cæcis epota cauernis,
Mox pleno superis fonte bibenda etiam.
O` fontis laudem egregiam, te humoribus expers
Luget terra, fouet Ditis, olympus auet.

## EIVSDEM.

GOrgoneæ sileat Phocis miracula lymphæ.
Notior hîc miro uena liquore salit.
Illa nisi sitientem aliquem non concitat, iste
Trudit & inuitis carmina fons animis.

## BERNARDINI DECANI.

PAstores teneras procul hinc arcete capellas,
Ne pereant uel fame, ne pereant uel siti.
Fonte bono extincto non tellus Dædala flores,
Non fert lanigero pabula læta gregi.
Mœret ager, mœrent syluæ, & formosus Apollo
Insolito Eois lumine surgit aquis.
At uos, queis licuit dulces haurire liquores,
Et niueos uitreo fonte lauare greges,
Officij hoc memores incidite marmore carmen:
Fons olim hic fluxit nectare, & ambrosia.

## EIVSDEM.

FOntiboni angusta cineres clauduntur in urna,
Ast animus campis gaudet in Elysijs.

## PETRI GRYNEI.

TE licet abstulerit fuscæ Deus arbiter Aulæ,
Non tamen æternum sustulit ille decus,
Quin tua cœlicolis reddatur fama superstes,
Viuat & astriferi nomen in arce poli:

*Cum bene iustarum seruasti dogmata legum,*
*Ostendens artem, consiliumq; pium.*
*Quò fit, ut egregijs decorent te laudibus omnes,*
*Pæstanisq; ornent mœsta sepulcra rosis.*

## BENEVENVTI HERMINII.

*CORPUS humo tegitur, mens fulget candida cœlo,*
*Sic fruitur uoto Fons bonus ecce suo.*

## INCERTI AVCTORIS.

*HEu quibus, heu quantis urbem mœroribus implet*
*Tam cari capitis deficiens oculus.*
*Vnde iacent uiduæ leges, iacet inconsulta*
*Iustitia, orba fides, urbem agedum ange dolor.*

## VINCENTII IVSTI.

*PAllentes uiolæ, lilia candida,*
*Vos cultæ salices Fons bonus aruit,*
*Intonsi nemoris Fons Decus inclytum*
*Flete, nam simul*
*Quæ uos Nympha manu candida legerat,*

Vt sertum nitidum conderet, heu procul
Hinc astræa pedem cum gemitu tulit,
Ingens heu dolor,
Qui uos tam placidi margine gurgitis
Fouebat uiolæ, lilia candida, &
Vos cultæ salices, hinc cito languidæ
Aret Fons bonus.

## IOANNIS CABALL. COR-
## monensis Elegia.

IN tenebris patriam linquis, luctuq; sepultam,
Dum mortem properat Fons bone Parca tibi.
Nam tecum pietas, tecum probitasq;, fidesq;.
Et perijt recti quicquid in orbe fuit.
Hinc Vrbs flebilibus complet caua saxa querelis
Exitium repetens corde tremente tuum,
Et turri Nymphæ muscosi in margine fontis
Nescio quid tristi Flebile uoce gemunt.
Tempora ferali Pallas redimita cupressum
Dicitur æternos increpuisse Deos,
Te quia lethæa florente ætate peremptum
Compulerit Stygios puppe subire lacus,
Astræamq; tuo immaturo in funere fama est
Auditam querulos ingeminare sonos.

*Denique quis duplici non planxit pectora palma?*
*Quis non dissecuit ungue rigente genas?*
*Tu tamen, ò possim tantum perferre dolorem.*
*Huc, unde excesti, non rediturus obis.*
*Vel tu uixisses, uel si te Fata trahebant,*
*Nec poterant uitæ longius ire dies,*
*Vnà debuimus tecum decedere cuncti,*
*Ne sine te nobis uitàue, mors'ue foret.*
*Sed neque es extinctus, nanque inter sydera fulges,*
*Et uiuit nostro nomen in orbe tuum.*
*Attamen ingemimus, nec quòd tua gaudia cordi*
*Non sint, sed quòd non nos quoque mors rapuit.*
*At tu, qui è cœlo sublimis despicis orbem,*
*Et iam Diuino Numine cuncta uides,*
*Respice, & Vrbs quanta celebret tua funera pompa*
*Cerne, & te quanta cum pietate colat.*
*Flore nouo exornat tumulum, uiolaq; coronat,*
*Et cinerem lacrymis fundit & ossa pijs.*
*Mascula thura focis, Arabumq; adolentur odores,*
*Assyria & siquid mollius arua ferunt.*
*Ad bustum pia facta tuum, laudesq; canuntur,*
*Et scriptum de te Marmora carmen habent.*
*Terra sit exiguo cineri semper leuis, at tu*
*Aeternum fœlix Fons bone aue, atque Vale.*

## EIVSDEM.

DVm bonus immenso Fons fluxit in orbe, uirorum
Lucidulus puris corda rigauit aquis.
At nunc ante diem è terris sublatus ad Astra,
Nectareo fundit corda liquore Deûm.
Nectare mutari lympham laus rara, sed ipsum
Est hominem fieri rarior Hercle Deum.

## EIVSDEM.

CVm circumfusas animam exhalaret in auras
Fons bonus, & iam mens scandesceret ad superos,
Astræa insontes manibus laniata capillos,
Non sine, non sine me Fons bone abibis, ait.
Dixerat. è nostro confestim euanuit orbe
Ad Cœlum Fontem Diua secuta bonum.

## EIVSDEM.

DIgnum Fonte bono uos Musæ dicite carmen,
Nos demus Flores, nos lacrymas tumulo.
Iurisconsulto iacet hîc consultior omni
Balde tua uenia, Barthole pace tua.

EIVS-

## EIVSDEM.

HAS lacrymas, gemitusq; tibi dat mœstus Iolas,
Quando aliud, quod det, nil sibi iam superest.
Nam certè te tam properè pereunte, relictum
Est sibi nil aliud, quàm lacrymæ, & gemitus.

## EIVSDEM.

Fontibonus loquitur.

QVi tumulum sortem nostram miseratus ad istum
Fata gemis fletu nostra iuuante nihil;
Ne manes, ne læde precor, sic in tua uota
Perpetuo faciles experiare Deos.

## EIVSDEM.

DA uiolas tumulo pubes, lacrymis ego fontem
Irroro exhaustum nocte dieq; meis.
Illud tu tantum, nec cœptum desere, donec
Pallidulæ surgant è tumulo uiolæ.
Hoc ego item tantum, nec cœptum desero, donec
Prosiliat fusis Fons nouus è lacrymis.

## EIVSDEM.

*Viator ad tumulum.*

QVid tegis hîc? fontem. cur non fluit? aruit. est nè
Fons bonus hîc, quem gens Iulia plorat? Idem.
Quis calor exhausit? Phœbi. quid nam improbe Phœbe,
Nostros quid fontes improbe Phœbe rapis?

## EIVSDEM.

FOntibonum ne flete boni, ne flete sodales,
Non ille, ut male uos creditis, interijt;
Sed sanctam posito mortali corpore cœpit
Aeternis uitam uiuere cum Superis.
Imò igitur gaudete boni, gaudete sodales,
Lætitiaq; animos exhilarate noua.
Nanque ante hîc tantum moriturus uixerat, at nunc
Immortalis & hîc uiuit, & ante Deos.

## EIVSDEM.

AD uacuum comites quid fontè quæritis alueum?
Sidereas petijt, uenerat unde, domos,

Ingens nunc flumen paruo pro fonte, fluitque
Dulci pro lympha nectar, & ambrosia.

## EVSDEM. AD FRAN. MAN.

MOrte sua in luctu patriam cum cerneret atro
Fons bonus, & uariè corda dolere uirûm;
Statim pœnituit nos deseruisse, sed ipsi
Huc dedit, unde abijt, posse redire Deus.
At quia non poterat solito sine corpore cerni,
Viuit in ingenio Mantica docte tuo.
Quæque illi fuit ante obitum Doctrina, Decusque,
Permanet, & probitas, & sine labe fides.

## EIVSDEM. AD RICARdum Commaulum.

TAndem querelis optime
Ricarde ponatur modus.
Fletum satis iam. Scilicet
Cunctis manus mors inijcit,
Nec anteponit pauperi
Regem superbum Villico.

## EIVSDEM.

AD hunc qui tumulum uenit Viator,
Nec genas lacrymis refert madentes,
Hunc credam ſilices habere corde,
Hunc non ingemere, aut dolere poſſe,
Si fractus Styge ſorbeatur orbis.

## EIVSDEM.

F Ata Fons bone te impia abſtulerun T
A nte, quam foret hora mortis, at t V
M ortem nil metuens Deorum in aul A
A urata Superis beatus aſta S
P rocul nos dubiæ caduca uit Ae
E rrantes ſequimur, ſceleſta done C
R umpat ſtamina noſtra parca, & æſt V
D e mente huc Stygium furens ferat ſe L
V erum te ſine luſtra ferre mult A
R elictis facile haud erit. quiete M
A bſque te haud reperimus. unde cœt V
B enigno lacrymante, riſus exu L
I n loca extera priſcus hinc abiui T
T ecta non petiturus inde noſtr A.

## EIVSDEM RETROGRADI.

SOllicitat tua mors cunctos, sed pectora nostra
Credere si fas est, Fons bone dilacerat.

## EIVSDEM RETROGRADI in suum genus, reciproce.

AStra petis, linquis dum terras, aurea fœlix,
Tot bona pro nece dant Fonsbone cœlicolæ.

## EIVSDEM ALTERIVS FORmæ Tumulus loquitur.

SAcros mole premo manes hac deueneranda,
Deueneranda hac manes premo mole Sacros.

## EIVSDEM SANGVINEI DIRECTI.

PIerides, Pallas, Charites, Astræa, Napææ,
Concinite, humecta, fundite, tunde, date,
Fontibonum, cineres, suspiria, pectora, flores,
Carminibus, lacrymis, corde, manu, calathis.

## DIRCAEI FILII.

VOs, quibus exhaurire bono de ſonte licebat
Lymphas, atque auido pellere corde ſitim,
Flete ſimul, bonus ecce aret fons, fons bonus ille,
Quo nihil aut fuerat dulcius, aut melius.
Flete diu, & lacrymis cineres implete ſepultos,
Vt rurſus ſicco è fonte reſurgat aqua.

## ANTONII SABBATINI.

POſtera dum eximios celebrabunt ſæcula fœtus
Balde tui ingenij, Bartbole ſiue tui;
Tu quoque Iuliadum ſpecimen laudabere fama
Aequa, his uel fies dignus honore magis.
Quicquid enim Charites laudis tribuere duobus,
Fontibone, hoc uni fata dedere tibi.

## EIVSDEM.

VT fratrem Idææ quondam fleuere ſorores
Troilon, infœlix Antilochumq; ſenex:
Sic modo te amiſſum deflet ſtudioſa iuuentus
Gloria Iulæi FONSBONE rara ſoli.

# IOANNIS COMINI.

O Fons clarior omnibus,
O' fons lucidulis roribus integer,
O' fons optime fontium,
Irrorant placido nuncubi tramite
Lymphæ? queis ſuper irrigas
O plens cuncta roſis ſparſus odoribus.
Quò nam tendit iter liquor?
Quo depreſſa ſiti pectora frigeras.
Quiſnam feruor Apollinis
Caſu præcipiti ſub phaëtontidis,
Vel quæ bruma rigens gelu
Infeſto, ut Scythiæ ſub regionibus,
Te ſubtraxit ab alueo?
Te campi Elyſii, te retinent loca
Tantis digna liquoribus.
Felices animæ, quæ loca poſſident,
Te circum Choreas agunt,
Necnon præ nimia lætitia fremunt,
Cantantes tibi carmina,
Texentesq; roſis ſerta decentibus.
Nos uerò ad ſinus aridos
Stantes languiduli quærimus abditum,

*Et multum lacrymis ſolum*
*Roramus, lacrymis fons itaque bonus*
*Pleno adlabitur alueo.*

## INCERTI AVCTORIS.

F ONS BONVS *hîc olim nitidis uberrimus undis,*
*Cuius miro hauſtu quilibet alta ſapit,*
*Aruit heu, fallor, ſublimia ad aſtra receſsit*
*Exiliens, ortum duxerat unde liquor.*
*Quòd ſi per terras iam lacteus iste fluebat,*
*Nunc cœlo grati Nectaris auget opus.*

## EIVSDEM.

*F Ons Iuris, Fons ille ſacer reuocatur ad Aſtra,*
*Nunc factus uero eſt nomine, req; bonus.*

## EIVSDEM.

*V Os ò Theſpiadum choro, & parente*
*Phœbo progeniti, Linoq;, & Orphã*
*Nihil disſimiles, & ad Caballi*
*Vndas aligeri iugo in ſupremo*

*Educti,*

Educti, altiloqui graues poetæ,
Vos inquam altiloqui graues Poetæ,
Dignum Fontebono, bonisq; Musis
Carmen dicite, quod male urat Indos,
Vrat Hesperios, feratq; uestrum
Nomen sidera ad usque gloriosum.
Contra nos humiles leues Poetæ
Præ uobis, homines parumq; naris
Emunctæ, scioli, quibus negatum est
Versus fundere largiore uena
Excultos, lepidos, & elegantes.
Conticebimus abditi in tenebris,
Ausi nil strepere anseres olores
Inter, qui feriunt Polum canendo.
Qrare totum onus hoc renunciamus
Vobis altiloqui graues Poetæ,
Fontem siue bonum bono scatentem
Humore in superos referre uultis,
Seu quid grandius inuenitur orbe
Toto, quod uideatur esse dignum
Et uestro ingenio, & lepore uestro,
Vt uos uos sciat optimos Poetas
Mundus, nec putet optimos Poetas
Præter uos, reliquos ineptiarum

*Cantores, humiles, leues poetas*
*Dicat, Ireq; pessimos Poetas.*

## ALEXANDRI PONTONI.

V*T nostram tetigit fontem, nouitq; liquorem,*
*Hoc est Nectar ait Iuppiter, & rapuit.*

## FRATRIS AVGVSTI. STAI.

F ONS *cadit in fontem, bonus influit in meliorem,*
*Mors uitam, umbra Polum, Riuulus Oceanum.*

## EIVSDEM.

S*Ic uiuo ualeas fonti coniungere fontem*
FONSBONE, *fonte bono cur pereunt latices?*

## INCERTI AVCTORIS, FONS *ad uiatorem bibere uolentem.*

N*On lymphæ ne tange precor, ne tange uiator,*
*Sunt lacrymæ, lacrymas uis bibere ipse meas?*

## EIVSDEM.

QVem fuerant homines mirati ſæpe loquentem,
Nunc ſtupet eloquio turba Beata Deûm.

## INCERTI AVCTORIS.

TE lacrymas pereunte damus, lux candida nanque
Fosbone Iuliadum te pereunte, perit.

## INCERTI AVCTORIS.

Cædite ſic tumulum uates, hîc conditur urbis
Fama, decus, probitas, relligio, atque fides.
Sed quidnam tot opus uerbis? hæc ſcribite tantum,
Exiguo hoc ſitus eſt Fonsbonus in tumulo.
Nam cum Fontebono unà dicitur urbis, & orbis
Fama, decus, probitas, relligio, atque fides.

## DI M. VICENZO DIRCEO, SONETTO.

SOglion tal'hor da qualche largo fonte
Risorger chiari, dolci, & freschi riui,
Che mormorando limpidetti, & uiui
Cadono giu d'un colle, ò giu d'un monte.
Ma quando'l Sol ci stà più sopra'l fronte,
La terra ardendo ne i calori estiui,
Restan di grati humori i fonti priui,
Et non son più l'acque famose, & conte.
Questo buon fonte hauea per tutto sparsi
Di bontade, & ualor i riui suoi
Ne i caldi petti di uirtute accesi.
Ma'l sommo Sol, mentre l'hà tolto à noi,
Che semo homai di sete asciutti, & arsi,
Hà fatte sue uirtuti più palesi.

DI M. PIETRO ARRIGONE. S.

QVando giungendo al destinato segno
Drizzò tutti ad un fine i pensier sui
Quel, c'hor piangete, & sali 'n grembo allui,
Che la su'l tien per pretioso pegno,
Conobbe'l mondo all'hor, ch'ei n'era indegno,
Che quà giuso fra noi stess'egli, à cui
Tanta gratia largita hauea colui,
Che pel nostro peccar mori sul legno;
Onde bagnando'l sen pria si giocondo
S'udì dir con mestissime parole,
Spento'l primo ualor, qual fia'l secondo?
Ma gli Angeli con uoci e rade e sole
Leuando ogn'altro suo terreno pondo,
Lieto'l locar nelle celesti scole.

## DEL CAB. MADRIALE.

IN ripa al Natisone
Sospirando dicea queste parole
Il Nordio, & con pietà fermaua il sole:
Da che'l gran Fontebuono
Noi qui lasciando è gito all'altra uita,
Oscuri i giorni sono,
E'n un momento è ogni beltà sparita,
Ne la terra uestita
Di mille almi color sen uà, ma suole
Produr cardi aspri in uece di uiole.

## DEL MEDESIMO STANZA.

MEntre i dolenti figli con la cara
Madre spargean di pianto un largo rio:
Con pietà à loro inusitata & rara
Si uolse il Fontebuon', & disse à Dio,
Voi mi riuederete sù nel Para,
Ma dir non potè diso, che morio;
Onde l'Alma già fuor di caldo & gelo
Subito ascese immaculata in Cielo.

DI M. VIRGINIO BOCCASSO.

L'Alma, che già altamente albergò in terra,
(Quel, c'hauea'l ſecol noſtro in ſe piu degno)
S'è partita da noi uerſo quel Regno,
Ch'à gran parte di noi ſi chiude & ſerra:
Ne teme ella, che'l tempo edace à terra
Getti ciò, che uiuendo oprò l'ingegno,
Che per ſempre ſerà qui norma, & ſegno
Di tutto quel, ch'à lungo andar s'atterra.
Congiurato pianeta, dure uoglie,
Che n'hanno in alto mar tratti dal Porto,
Sendo'l noſtro bel lume hoggi ſparito.
Giaceno qui le ſue corporee ſpoglie,
Et eſſo uiue bench'altrui par morto,
Che glorioſo al Ciel quindi è ſalito.

## DEL MEDESIMO.

SPirto, che glorioso, & lieto torni
Doue Dio ti creò, puro immortale,
Senza segno lasciar qui di mortale,
Si che la morte, e'l tempo se ne scorni.
Sù nell'ottauo Ciel miri gli adorni
Pianeti congiurati al nostro male,
L'auree stelle, e'l bel Sol c'hor scende, hor sale,
Menando i lustri, gli anni, i mesi, & giorni.
Dormito hai Fontebuon ben picciol sonno
Per noi, ben che suegliata sia nel cielo
L'Alma tua santa delle membra ignuda.
Morte & fortuna più contra non ponno,
Che stracciato hai questo corporeo uelo,
Lasciandol qui, che freddo marmo il chiuda.

DEL

# DEL MEDESIMO.

*ALma real, che nell' Empireo cielo*
*Sei con l'altre ſant' alme elette unita,*
*Ecco, che ritornata, ond' eri uſcita*
*Nulla pauenti homai caldo, ne gelo.*
*Ma noi cangiando andiamo il uiſo, e'l pelo*
*Più per tempo dal dì, ch' alleggerita*
*De l'incarco terreno, à miglior uita*
*Saliſti qui laſciando il mortal uelo.*
*Vita mortal, ch' altro di noi non reſta.*
*Che polue, & ombra, & uienni guerreggiando*
*Di continuo fortuna in sù le porte.*
*Felice te, che uiua, ignuda & deſta*
*Volaſti glorioſa al Ciel ſprezzando*
*Il tempo, la fortuna, inuidia, & morte.*

## DEL MEDESIMO.

L'Alma gentil, che qui alcun tempo uisse,
Giunta all'estremo passo, & noi piangendo,
Et sospirando si riuolse, & disse,
Da che'l sospirar uostro e'l pianger tanto
Nulla rileua: e'l tempo ite perdendo,
Dhe lasciate i sospir, lasciate il pianto;
Ne ui lagnate mai di quel ch'è forza,
Ch'un giorno fia, fia pur per tempo ò tardi,
Ch'ogn'un lasciar uerde, ò matura scorza
Morte constringe, & nulla ual, che tardi.

## D'INCERTO AVTTORE STANZA ANGVINEA.

L'Ornamento, il splendore, la bontade,
D'Vdine, della patria, del mondo,
Ratto, troppo per tempo, in uerde etade,
E sparito, è sepolto, è gita al fondo,
Con le Gratie, con Palla, con Astrea,
Sacre, celeste, di giustitia Dea.

D'INCERTO AVTTORE.

AL chiaro fonte, alla dolce, & fresc'onda
Pongasi per sepolcro Italia, & pianga
D'ogn'intorno il suo occaso empio, & ripianga
Quanto la terra cinta il mare inonda.

IL FINE.

VENETIIS, Ioan. Gryphius excudebat
M D LVI.